13. Inde perreximus in montem Oliveti, in cujus declivio ostenditur locus orationis Domini ad patrem. In latere autem praedicti montis ostenditur locus, in quo pharisaei deduxerunt ad Dominum mulierem in adulterio deprehensam. Habetur ibí ecclesia in honore sancti Johannis, in qua servatur scriptura in lapide marmoreo, quam Dominus scripsit in terra.

14. In cacumine autem saepius dicti montis, milliario uno a valle Josaphat, est locus ascen-

sionis Domini ad patrem. Habetur ibi ecclesia rotunda sine tecto, in cujus medio, hoc est in loco ascensionis Domini, habetur altare sub divo patens, in quo celebrantur sollemnia missarum.

15. Inde transivimus ad Bethaniam, quae est ad meridiem, distans a monte Oliveti milliario uno, in descensu ipsius montis. In quo est monasterium, cujus ecclesia sepulchrum monstrat Lazari: juxta quod est piscina ad aquilonem, in qua jussu Domini lavit se ipse Lazarus resuscitatus, qui dicitur postea exstitisse episcopus in Epheso XL annis. In descensu etiam de monte Oliveti ad occidentalem plagam ostenditur marmor, de quo descendit Dominus super pullum asinae. Inter haec ad meridiem, in valle Josaphat, est natatoria Siloe.

16. Ab Jerusalem transivimus ad Bethlehem. A loco nativitatis Domini, qui fuit VI. milliario, ostensus est campus, in quo laborabat Habacuc, quando angelus Domini jussit eum prandium ferre Danieli in Babylonem, quae est ad meridiem, ubi regnavit Nabuchodonosor: quam nunc serpentes ac bestiae inhabitant. Bethlehem ergo habet ecclesiam valde magnam in honore sanctae Mariae,

in cujus medio est crypta sub unò lapide: cujus introitus est a meridie, exitus vero ad orientem, in quo ostenditur praesepium Domini ad occidentem ipsius cryptae; locus autem, in quo Dominus vagiit, est ad orientem, habens altare, ubi celebrantur missae. Juxta hanc ecclesiam est ad meridiem ecclesia beatorum martyrum innocentium. Milliario denique uno a Bethlehem est monasterium sanctorum pastorum, quibus angelus in nativitate Domini apparuit.

17. Ad postremum XXX milliaribus ab Jerusalem est Jordanis ad orientem, super quem est monasterium sancti Johannis Baptistae. In quibus quoque locis multa consistunt monasteria.

18. Est inter haec ad occidentalem plagam Hierosolymae civitatis milliario uno ecclesia sanctae Mamillae, in qua sunt multa corpora martyrum, qui, a sarracenis interfecti, ab ipsa sunt ibi diligenter conditi.

19. Revertentes igitur ab Jerusalem, sancta civitate, venimus ad mare, quod intrantes navigavimus LX dies cum angustia valde magna, non habentes ventum serenum. Tandem exeuntes de mare, venimus ad montem Aureum, ubi est

crypta habens VII altaria. Habet etiam supra se silvam magnam: in quam cryptam nemo potest prae obscuritate tenebrarum intrare, nisi cum luminaribus accensis. Ibidem erat abbas dominus Valentinus.

20. A monte Aureo pervenimus Romam, intra quam urbem ad orientalem partem, in loco, qui dicitur Lateranis, est ecclesia in honore sancti Johannis Baptistae bene composita, ubi est propria sedes apostolorum. Ibidem etiam unaquaque nocte deferuntur claves ad apostolicum de universa civitate. Ad occidentalem autem partem beati Petri, principis apostolorum, est ecclesia, ubi ipse requiescit, cui in magnitudine non est similis ecclesia in universa terra: quae continet etiam ornamenta diversa. In hac etiam praedicta urbe innumerabilia corpora sanctornm requiescunt.

21. In hac etiam urbe separati sumus ab invicem; ego vero postea veni ad sanctum Michalem ad duas tumbas, qui locus est situs in monte, qui porrigitur in mare per duas leucas. In summitate hujus montis est ecclesia in honore sancti Michaelis, et in circuitu illius montis

redundat mare quotidie duabus vicibus, id est, mane et vespere, et non possunt homines adire montem, donec mare recesserit. In festivitate autem sancti Michaelis non conjungitur mare in redundando in circuitu illius montis, sed stat, ad instar murorum, a dextris et a sinistris. Et in ipso die solemni possunt omnes, quicunque ad orationem venerint, omnibus horis adire montem, quod tamen aliis diebus non possunt. Ibi est abbas Phinimontius, brito.

22. Tandem ego dico vobis, quomodo tenent christiani legem Dei sive in Jerusalem, sive in Aegypto. Christiani et pagani talem pacem inter se positam habent ibi, ut, si iter agerem et in itinere ipso mortuus fieret meus camelus aut asinus, qui meam gereret paupertatem, et ibi relinquerem omnia mea sine custode et irem ad civitatem propter alium, ego, cum rediero, omnia mea illaesa inveniam. Tutis pax ibi est, ut, si in civitate vel in ponto aut in itinere aliquo invenerint hominem ambulantem per noctem vel etiam per diem non habentem cartulam aliquam aut sigillum alicujus regis vel principis terrae illius, illico jubetur recludi in carcerem, quoadusque veniat tem-

pus, quo possit reddere rationem, utrum sit explorator, an non.

23. Beneventani principem suum Sichardum per superbiam interfecerunt et legem christianorum multum destruxerunt. Deinde rixas et contentiones inter se habuerunt, donec Ludovicus, Lotharii et Caroli frater, ipsis cum beneventanis invitantibus, super eos imperium accepit. In Romania vero mala fiunt, et ibi homines multi sunt fures et latrones, et ideo non possunt homines, ad sanctum Petrum ire volentes, per eam transire, nisi sint plurimi et armati. In Longobardia, Ludovico memorato regnante, bona satis pax est. Britones quoque habent pacem inter se. Legem etiam habent, qualem vobis dico, ut, si alius alii injuriam fecerit, statim venit tertius, quicunque sit, qui hoc viderit, et vindicat eum, quasi ejus proximus fuisset. Et si probatum invenerint aliquem de furto ultra quatuor denarios, eum interficiunt aut in patibulo suspendunt.

24. Denique in villa Gethsemane vidimus ejus subtilitatis marmoreos lapides quadratos, ut in eis, veluti in speculo, omnia, quaecunque voluerit homo, conspicari possit.

IV.

Innominati VII. descriptio Terrae Sanctae.

Si quis vult intrare Jerusalem, ortum solis semper teneat, per portam sancti Stephani intret: ibi extra portam lapidatus fuit: et intra Jerusalem loca per ordinem inquirat.

In Jerusalem est sepulchrum Domini. Ad introitum portarum sepulchri, extra portam, est ecclesia Calvariae, ubi sancta Maria fuit et sanctus Johannes stabat, quando Dominus dixit: *Mulier, ecce filius tuus; . . fili, ecce mater tua.* Extra portam a sinistra parte est altare sancti Johannis Baptistae. Intra portam rursum ad dextram est mons Calvariae, ubi crucifixus erat Dominus; subtus est Golgatha, ubi sanguis Domini cecidit ad petram. Et ibi fuit caput Adam, Abraham sacrificium fecit. Ex alio latere ad pedes montis Calvariae est locus et columna, ubi Dominus fuit

flagellatus, et prope, contra origentem (orientem), per descensus XLIIII graduum est locus, ubi sancta crux a sancta Helena fuit inventa. In ecclesia est sepulchrum Domini, et ibi juxta, contra orientem, in medio chori, est medius mundi, ubi Dominus fuit positus, quando Nichodemus deposuit eum de cruce. A sinistro latere est carcer Domini, et ibi prope est locus, ubi sancta crux adoratur.

Juxta ecclesiam sepulchri est ecclesia sanctae Mariae, quae dicitur, latinae, ubi dicitur sancta Maria Magdalena et sancta Maria Cleophe dilacerasse capillos suos, quando Dominus fuit positus in cruce, et ibi est hospitale sancti Johannis Baptistae.

Ab isto loco, quantum potest arcus bis trahere (trahi), est templum Domini a Salomone rege fabricatum, in quo sunt quatuor introitus et duodecim portae. In medio templo est magnus lapis positus, ubi fuit archa foederis posita, in qua nunc est etiam virga Aaron et tabulae testamenti et candelabra aurea, et urna, in qua est manna, quae de coelo pluit, et ibi ignis sacrificii, et adhuc destillat oleum, unde reges et prophetae

solebantur inungi. Et hic juxta Dei filius praesentatus fuit, et Jacob scalam de coelo descendentem vidit. A sinistro latere chori

est oblatus rex regum de virgine natus,
quo locus ornatur, quo sanctus jure vocatur.
Hic vidit scalam, et in titulum erexit et aram.

A dextro vero latere (locus), ubi angelus apparuit Zachariae. Ibi subtus est confixio (confessio), olim sancta sanctorum, ubi Dominus dimisit peccatrici deprehensae in adulterio:

Absolvo gentes
cordis crimen facientes (fatentes).

Et ibi annunciatus sanctus Johannes Baptista, et ibi est columna, quam sarraceni adorabant, in qua dicitur esse ara, ubi Abraham voluit sacrificare filium suum. Et est etiam ecclesia, ubi sanctus Jacobus praecipitatus fuit de templo. Et inde extra murum templi est quaedam aura (ara), juxta quam fuit interfectus sanctus Zacharias. Ab introitu atrii templi est porta speciosa.

Ex alio latere est templum Salomonis. Inter templum et auream portam sunt arbores.

Ibi pueri tulerunt ramos, quando Dominus sedit super asinam, et ibi juxta templum Salomonis, in angulo civitatis, est cubiculum (cunabula) Christi, lectum genitricis et balneum, et ibi est sepulchrum sancti Simeonis.

Contra orientem, juxta templum, est porta (aurea). Ab aquilone est probatica piscina, et ibi prope est sancta Anna et puteus ille, ubi peregrini vadunt. Juxta sanctam Annam est ecclesia sanctae Mariae Magdalenae. Ab aquilone juxta ecclesiam sepulchri est ecclesia sancti Karitotii (Charitonis).

Ad meridiem est mons Sion, ubi ecclesia formosa in honore sanctae Mariae fundata est, in qua etiam migravit ad coelum, cujus sanctissimum corpus in vallem Josaphat est deportatum. A sinistro latere illius est capella, ubi fuit praetorium et (Christus) judicatus; a dextro vero latere est Galilaea, ubi Dominus apparuit Simoni et mulieribus. Sursum juxta chorum est, ubi spiritus sanctus descendit super apostolos, et in eadem ecclesia est tabula, supra quam Christus coenavit, quando dixit: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Et inferius est locus, ubi

lavit discipulorum pedes, et ibi pila, in qua erat aqua. Et in eodem loco stabat Jesus, quando dixit: *Pax vobis*, et ibi palpavit Domini latus Thomas. Et a sinistro latere est altare sancti Stephani, ubi fuit sepultus.

Extra ecclesiam est quaedam parva ecclesia, ubi praetorium fuit, in quo Dominus flagellatus, spinis coronatus atque illusus, et hic fuit domus Caiphae. Ultra montem Sion est ecclesia, ubi sanctus Petrus fugit, quando Dominum in galli cantu negavit. Contra vallem (Josaphat) est natatoria Siloe, et ibi est sepultus Isaias propheta.

Inter Jerusalem et montem Oliveti est vallis Josaphat, ubi sancta Maria ab apostolis fuit sepulta, et ibi est torrens Cedron. Etiam fuit villa, quae dicebatur Jessemani (Gethsemane). Ibi Dominus diuisit (dimisit) Petrum et alios discipulos, quando oravit: *Pater, si fieri potest* etc., et ibi est hortus, ubi captus fuit a judaeis, et hinc, quantus est jactus lapidis, (est locus), ubi oravit et sudor ejus quasi gutta sanguinis decurrentis (decurrit) in terram. Juxta quem locum est sepulchrum Josaphat regis, per quem dicitur vallis Josaphat. Et ibi est ecclesia, ubi

Jacobus et sanctus Simeon senex et Zacharias fuerunt sepulti, et non longe contra meridiem est Adkeldemah (Hakeldama) sive sepulchrum peregrinorum.

In monte Oliveti ascendit (Dominus) ad patrem, et praecepit discipulis praedicare omni creaturae. Et prope est ecclesia parva, ubi facta est dominica oratio. Et ibi subtus est ecclesia, ubi est sepulchrum divi Pelagii (divae Pelagiae). Inter montem Oliveti et Bethaniam est Bethphage, ubi Dominus misit Petrum et Johannem pro asino, et non longe est Bethania, ubi Dominus suscitavit Lazarum et dimisit peccatrici. Et hic fuit domus leprosi Simonis. Et ibi prope est sancta Martha, ubi occurrit cum Maria Domino.

Via, quae ducit de Jerusalem Bethlehem, est per portam David ad ecclesiam sancti Eliae, ubi stetit. In via est sepulchrum Rahel. In Bethlehem fuit Christus natus, et ibi est sepulchrum sancti Hieronymi, et puteus, in quem stella cecidit, et tabula, in qua sancta Maria cum tribus regibus est depicta. In claustro sunt sepulchra innocentium. In crypta beatae vir-

ginis est altare, ubi peperit. Et non longe a Bethlehem est ecclesia, ubi pastoribus angelus apparuit. Et ibi est ecclesia, ubi sancta Maria requievit, quando Dominum portavit. Et in capite est via, quae ducit ad Habram (Abraham) in Hebron, et distat a Jerusalem quinque leucis. Et in eodem loco plasmavit Dominus Adam. Et inde non longe fuit domus Kain et Abel. Et inde prope est, ubi Dominus apparuit in trinitate Abrahae. Contra orientem (occidentem) est locus, ubi sancta Maria salutavit Elizabeth, et ibi natus fuit Johannes Baptista et (habitavit) Zacharias. Et inde ad duas leucas est castellum Emmaus.

Extra portam (Jerusalem) est ecclesia sanctae crucis, ubi (lignum) excisum fuit. In Jerusalem est locus, ubi sanctus Petrus fuit in carcere. In templo est fons aquae vivae, unde propheta: *Vidi aquam egredientem.*

A Jerusalem ad montem Quarateni (Quarantana) sunt VII leucae, et in pede montis est hortus Abraham. Et ibi prope est Jericho, et inde ad duas leucas est fluvius Jordanis. De flumine ad montem Sinai sunt XVIII diaetae.

De Judaea ad Samariam (Sichem), quae nunc vocatur Neapolis, sunt XII leucae, et est puteus, ubi Dominus loquebatur cum muliere samaritana. Et ibi est mons, ubi voluit Abraham immolare suum filium. A loco illo ad Sebastam sunt II leucae, ubi sanctus Johannes Baptista decollatus est, et adhuc pulvis ejus servatur.

Et inde ad X leucas est mons Tabor, ubi Dominus transfiguratus est. Et ibi prope est mons Hermon (Hermoniim), ubi est civitas Naim, ubi Dominus unicum filium matris suae suscitavit ante portam. Contra orientem est mare Galilaeae, ubi Dominus de quinque panibus et duobus piscibus saturavit V millia hominum. Contra occidentem civitas est egregia Nazareth, et ibi annunciata fuit beata virgó per angelum, et ibi fuit domus ejus.

Haec loca et alia a fidelibus sunt veneranda. †

V.

Johannis Wirziburgensis descriptio Terrae Sanctae.

Epistola.

Johannes, Dei gratia in wirziburgensi ecclesia, id quod est, dilecto suo socio et domestico Dietrico salutem et supernae Jerusalem, cujus participatio in id ipsum, contemplationem.

Nota mihi morum tuorum tam conformis omnibus bonis viris dispositio, nec non et illa tam studiosa ad cultum divini officii et obsequii devotio, praeter rationem etiam domestici consortii, affectionem animi mei tuae voluntati, quam in mutua vicissitudinis compensatione semper praesumo aequam et benignam fore, sic obligaverunt, quod nulla vota tua, in quorum tamen completione sedulitatis meae requiratur opera, quantum ad possibilitatem virium mearum, patiantur cassari optato

fine. Inde est etiam, quod ego in hierosolymitana manens peregrinatione pro Domini nostri Jesu Christi amore, tui tamen absentis non immemor, dilectionis tuae causa loca venerabilia, quae Dominus noster, mundi salvator, una cum gloriosa genitrice sua Maria, virgine perpetua, et cum reverendo discipulorum suorum collegio corporali sanctificavit praesentia, praecipue in civitate sancta Jerusalem, quanto expressius et studiosius potui denotando in eis facta, et epigrammata sive prosaice, sive metrice styli officio colligere laboravi. Quam descriptionem tibi acceptam fore aestimo, ideo scilicet, quia evidenter singula per eam notata tibi, quandoque divina inspiratione et tuitione huc venienti, sponte et sine inquisitionis mora et difficultate tamquam nota tuis sese ingerent oculis, vel si forte illuc non veniendo haec intuitu non videbis corporeo, tamen ex tali notitia et contemplatione eorum ampliorem, quoad sanctificationem ipsorum, devotionem habebis. Scio equidem jam dudum ante tempora moderna haec eadem loca non tantum in civitate praefata, sed etiam longe extra posita a quodam viro reverendo in scripta redacta fuisse; verum quia postmodum, per tanti temporis spatium, eadem

civitate saepe ab hostibus capta et destructa, etiam eadem sacrosancta loca intra muros et prope extra, de quibus tantum intendimus, sunt eversa et forte postea transmutata, ideo haec nostra devotio juxta situm eorum, quem coram positi videndo denotavimus, superabundans aut superflua non est judicanda. De his autem, quae longe extra in adjacente sunt provincia, non proposuimus dicere, cognoscentes jam ab aliis sufficienter dictum fore.

1. **Nazareth, saltus Domini, Sepphoris, Cana Galilaeae, Tabor, Hermoniim, Naim, Endor, Cison, Jezrahel, Mageddon, Gelboe, Scythopolis, Gynaea.**

Veruntamen principium hujus descriptionis, propter exordium nostrae redemtionis in civitate Nazareth per incarnationem Domini angelica annunciatione celebratum, ab eadem civitate, quae Hierosolymis fere sexaginta milliariis distat, constituere et loca interjacentia inter ipsam et civitatem sanctam breviter et summatim perstringere volumus, licet de his per alios diffusius et prolixius jam dictum esse cognoscamus.

Haec eadem civitas, decem milliariis a Tiberiade distans, caput est Galilaeae, et proprie civi-

tas salvatoris dicitur, eo quod ipse in ea conceptus et nutritus fuit: unde et ipse Nazarenus nuncupatur. Nazareth interpretatur flos vel virgultum, nec sine causa, cum in ea flos ortus sit, ex cujus gratia est repletus mundus: flos ille, virgo Maria, ex qua Gabriel archangelus in eadem Nazareth filium altissimi nasciturum nunciavit, inquiens: *Ave Maria* etc. Cui et illa: *Ecce ancilla Domini* etc. De Nazareth dictum fuit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* In Nazareth labitur fons exiguus ille, ex quo in pueritia Jesus solebat haurire aquas et inde ministrare matri suae.

Milliario a Nazareth contra meridiem est locus, qui praecipitium dicitur, ex quo invenientes Jesum praecipitare voluerunt, sed ab eis in momento disparuit, et vulgo dicitur hodie saltus Domini.

Secundo milliario a Nazareth Sepphoris civitas, via, quae ducit Accon. Ex Sepphori Anna, mater Mariae, matris Domini nostri. In Sepphori etiam dicitur fuisse nata beata virgo Maria; sed, teste Hieronymo, ut ait in prologo sermonis, quem fecit ad Heliodorum de nativitate sanctae Mariae, in ipsa civitate Nazareth nata esse dicitur, et quidem in eodem cubiculo, ubi et postmodum im-

praegnata fuit angelico alloquio. Hoc adhuc ibidem ostenditur in loco distincto, ut praesens vidi et notavi. Quarto milliario a Nazareth, secundo a Sepphori Cana Galilaeae ad orientem, a qua Philippus et Nathanael: in qua puer Jesus, cum matre sua discumbens in nuptiis, aquam convertit in vinum.

Quarto milliario a Nazareth contra orientem mons Tabor, in quo transfiguravit se Jesus apostolis suis praesentibus, scilicet Petro et Johanne et Jacobo, coram quoque Moyse et Elia: quod festum Hierosolymis solemniter celebratur in die sancti Sixti et maxime a surianis, cum et ibi vox patris audita est: *Hic est filius meus dilectus* etc. Qui etiam Petro et Johanni et Jacobo vetuit, ne, quod viderant, alicui revelarent, donec a mortuis filius hominis resurgeret. Ibi Petrus ait: *Domine, bonum est nos hic esse* etc. Secundo milliario a Tabor contra orientem mons Hermon. In descensu Tabor montis obviavit Abrahae redeunti a caede Amalech dominus Melchisedech, qui et Sem, filius Noe, sacerdos et rex Salem, praesentans ei panem et vinum, quod figurat altare Christi sub gratia.

Secundo milliario a Tabor Naim civitas, ad cujus portam Jesus restituit vitae filium viduae, quem incolae narrant Bartholomaeum fuisse, postea factum apostolum. Supra Naim mons Endor, ad cujus radicem supra torrentem Cadumim, qui et torrens Cison. Consilio Deborae prophetissae Baruch, filius Amon, devicit idumaeos, Sisara occiso a Jahel, uxore Aber Cinaei; Zeb autem et Zebee et Salmana, trans Jordanem persequens, gladio peremit; Baruch vero in Endor et sub Endor, caeso exercitu. Unde in Psalmo: *Tabor et Hermon in nomine tuo exultabunt* etc. Sexto milliario a Nazareth, quinto milliario a Naim Jezrahel civitas, quae et Zaraim, quae modo vulgo dicitur Minor Gallina. Ex qua Jezabel, impiissima regina, fuit, quae abstulit vineam Naboth, quae pro importunitate sua de summo palatii sui praecipitata interiit, cujus adhuc pyramis nuper superstes videbatur. Juxta Jezrahel campus Mageddon, in quo rex Ozias a rege Samariae subactus occubuit, deinde, translatus in Sion, sepultus est.

Milliario a Jezrahel montes Gelboe, in quibus dimicantes Saul et Jonathas subacti obierunt. Unde David: *Montes Gelboe nec ros, nec pluvia*

etc. Secundo milliario a Gelboe contra orientem Scythopolis, Galilaeae civitas metropolis, quae et Bethsan, id est, domus solis vel civitas. Supra muros ejus suspenderunt caput Saulis. Quinto milliario a Jezrahel Genon oppidum, quod modo Crassa vel Major Gallina vulgo dicitur.

2. **Samaria, Dothaim (cisterna Joseph), Sebaste, Sichem, Sichar, Bethel (Luza), Garizim, Gebal, Silo, Rama.**

A Genon oppido incipit Samaria. Inter hoc et Sebasten ostenditur planities, quam vocant Dothaim, ubi prope viam adhuc apparet vetus illa cisterna, in quam missus fuit Joseph a fratribus suis. Decimo milliario a Genon est Samaria, quae et Sebaste et Augusta ab Augusto civitas dicta, in qua sepultus fuit ille praecursor Domini, baptista Johannes, ab Herode decollatus trans Jordanem, juxta lacum Asphaltitem, in castello Machaerunta, a discipulis suis inde translatus Sebasten ibique sepultus inter Helisaeum et Abdiam. Assumitur exinde postea corpus a Juliano Apostata, concrematumque fuisse perhibetur, datis vento cineribus, sed absque capite, quod Alexandriam ante translatum fuerat, postea in Constantinopolim,

ad ultimum in Galliam, in pagum pictaviensem, et absque indice, quo venientem ad baptisma Jesum indicaverat, dicens: *Ecce agnus Dei* etc. Indicem illum detulit secum beata Thecla virgo inter Alpes, ibique sub maxima veneratione tenetur in ecclesia maurianensi. Et est Samaria nomen urbis et patriae.

Quarto milliario a Samaria est Neapolis, quae et Sichem, inter Dan et Bethel posita. A Sichem, patre Hemor, qui Dinam, filiam Jacob, rapuit finibus illis deambulantem, terra illa vocata est Sichem. In Sichem vero relata fuerant ossa Joseph ex Aegypto. In Sichem juxta fontem fabricavit Jeroboam duos aureos vitulos, quos adorari fecit instar Aaron decem tribubus, quas secum de Jerusalem adduxerat et seduxerat. Unum ex eis posuit in Dan, alium in Bethel. Sichem urbem illam deleverunt filii Jacob; Hemor quoque peremerunt, dolentes de adulterio Dinae, sororis suae. Sichem his diebus Neapolis dicitur, id est, civitas nova. Sichar ante Sichem juxta praedium, quod dedit Jacob, filio suo: in quo fons Jacob, qui et puteus, supra quem evangelizatur, fessum itinere sedisse Jesum et sermonem habuisse cum muliere samari-

tana, ubi nunc ecclesia constituitur. Juxta Sichem terebinthus illa, sub qua Jacob abscondit idola in Bethel. Milliario a Sichem Luza civitas, in qua per multi temporis spatium habitavit Abraham, ubi et Jacob dormiens scalam vidit, cujus caput coelos tangebat, angelosque per eam descendentes et ascendentes, et statim evigilans ait: *Hic locus vere sanctus est et porta coeli.* Erigensque lapidem in titulum oleumque fundens desuper, appellavit nomen loci illius Bethel, quod antea Luza vocabatur. Est autem Bethel collateralis mons Garizim, respiciens montem Gebal ad septentrionem, juxta Dan supra Sichem. In hoc monte Bethel dicitur Abraham filium suum mactare voluisse.

Vigesimo milliario a Sichem, quarto ab Jerusalem, via, quae ducit Diospolim, mons Silo, et civitas, quae et Rama, ubi arca testamenti et tabernaculum Domini ab adventu filiorum Israel remanserunt usque ad tempora Samuelis prophetae et David regis.

3. Jerusalem, mons Moria, historia templi.

Vigesimo quarto milliario a Sichem, decimo sexto a Diospoli, decimo sexto ab Hebron, decimo

ab Jericho, quarto a Bethlehem, decimo sexto a Bersabee, vigesimo quarto ab Ascalone totidemque a Joppe, decimo sexto a Ramatha *Jerusalem,* sanctissima Judaeae metropolis, quae et Sion, de qua dictum est: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei:* quae et Aelia ab Aelio Hadriano, qui eam construxit seu potius transmutavit.

Jerusalem, gloriosa Judaeae metropolis, juxta philosophos in medio mundi sita est. Regnavit in ea David triginta quatuor annis et dimidio. Est quidem in Jerusalem mons Moria, super quem videns angelum percutientem evaginato gladio, qui populum Dei graviter caedebat, timens, ne in se et in urbem ulcisceretur, quod in populo numerato deliquerat, pronus in terram corruit, vere poenitens graviterque se affligens, a Domino exauditus, veniam meruit. De David ait Dominus: *Inveni virum secundum cor meum.* In monte Moria, regnante David, florebat area Areuna jebusaei, a quo et ipse David eam emere voluit ad construendam ibidem domum Domini, quod ab eo misericordiam loco illo consecutus fuerat, eoque angelus Domini ei parcens ibidem restitit. Emit quidem, sed vetitum fuit ei a Domino, ne inde se

intromitteret, quia vir sanguinum erat. Ergo quas ad hoc praeparaverat expensas, Salomoni, filio suo, cui a Domino concedebatur, tradidit, quatenus inde Domino domum construeret.

Et aedificavit rex Salomon in area Domino templum, id est, Bethel, et altare, quod et dedicavit incomparabili sumtu, petens a Domino, quod, quicunque de quocunque consuleret eum in eo, exaudiri mereretur, quod concessum fuit ei a Domino. Ergo domus Domini domus consilii. Illud autem postea pro incontinentia principis et populi, Deo puniente, exspoliavit Nebuchodonosor per Nabuzardam, principem coquorum, tempore Sedeziae regis, ipsumque privatum ab urbe totumque, quod speciosum fulgebat in aede et in urbe, tulit jussitque sibi in Babylone praesentari populum. Paulo post quidem Pharao Nechao templum delevit et urbem. Modo vero, ne relatori videatur absurdum auditoriqne taediosum, sub quibus et a quibus restructiones et destructiones primi, secundi et tertii templi exstiterunt, enumerare, hoc de praesenti Bethel, prout verius queam, tibi, dilecte mi, elucidare conabor. De Bethel vero, sub quo et a quo principe restitutum sit, fere ignoratur. Quidam enim sub Con-

stantino imperatore ab Helena, matre sua, reaedificatum fuisse perhibent pro reverentia sanctae crucis ab ea repertae; alii ob Heraclio imperatore pro reverentia ligni Domini, quod de Perside triumphans retulerat; alii a Justiniano augusto; alii a quodam imperatore Memphis Aegypti pro reverentia allah kebîr, id est, summi Dei, quoniam ad ipsum colendum devote ab omni lingua veneratur. Praesens hoc, inquam, templum est, de quo praedicatur, quod in penultimo octavo die natalis sui puer Jesus circumcisus fuerit. Praeputium ejus in Jerusalem in templo de coelis ab angelo Carolo, magno regi, praesentatum fuit et ab eo delatum in Gallias Aquisgrani, sed postea quidem a Carolo Calvo translatum in Aquitaniam, in pago pictaviensi, apud Carusium in ecclesia, quam sibi in honore salvatoris nostri construxit, et regie bonis amplissimis sub monachali religione locupletavit: quod ex tunc usque modo solemniter ibi asservatur et veneratur.

4. Templum Domini, traditiones, descriptio templi et adjacentis loci.

Nunc vero eamus ad repraesentationem Do-

mini, adjicientes hoc de circumcisione ejus, quae facta est in templo Domini octavo die, quod ipsa, quamvis in ea carnis abscissio depositionem vitiorum in mentibus aliorum significet, tamen, quia ad vetus testamentum pertinet, in eo consummationem accipiens, a modo cessare debeat. Inter sacramenta novi testamenti circumcisio non computatur, nec pertinet ad aliquod septem sigillorum. Sicut jam diximus, Dominus noster Jesus Christus a matre sua in templo est repraesentatus, receptus ab ulnis beati Simeonis spiritu prophetico inferentis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, etc. In templo Dominus noster Jesus Christus jam major factus, dum moraretur Jerusalem, etiam duodennis disputabat cum judaeis et docebat eos saepe postea, licet eum odio habuerunt. In templo laudavit munus pauperis, quod in gazophylazium miserat, quia totum, quod habebat, dederat. Super pinnaculum templi, quod reputatur supra latus ciruitus, habens subtus se fenestras, quasi pinnas vel cinnas, statuit Jesum diabolus, et, tertio eum propter baptismum et jejunium tentans, dixit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* In templo Domini XI. kalend. decembis dicitur beata virgo Maria, jam

trium annorum, oblata fuisse, ut hi versiculi docent ibidem inscripti:

Virginibus septem virgo comitata puellis,
servitura Deo, fuit hic oblata triennis.

Ibi quidem saepe solatium angelicum percepit. Unde versus:

Pascitur angelico virgo ministerio.

XI. kalend. decembris praesentatio beatae Mariae virginis in templo: unde haec dicitur oratio in eodem templo. Oratio. Deus, qui sanctam Dei genitricem, templum spiritus sancti, post triennium in templo Domini praesentari voluisti, respice ad devotam tibi plebem, et praesta, ut, qui ejus praesentationis festa veneramur, ipsi templum, in quo habitare digneris, efficiamur. Per Dominum etc.

De templo vendentes et ementes ejecit Dominus Jesus Christus, ad cujus rei indicium adhuc in dextra parte templi ostenditur lapis cum magna veneratione luminariorum et ornatus, tamquam pede Domini calcatus et insignitus, quando ipse solus virtute divina tot restitit hominibus eos violenter ejiciendo: qui lapis adjunctus est lapidi, super quem tamquam in altare depingitur Dominus noster

oblatus fuisse, ut demonstratur in pictura et superscriptione, quae talis est:

Hic fuit oblatus rex regum virgine natus,
quapropter sanctus locus est hic jure vocatus.
Hic Jacob scalam vidit, construxit et aram.
Hinc locus ornatur, quo sanctus jure vocatur.

Quod vero ibidem in lapide eodem Jacob depingitur caput posuisse, quando dormiens vidit scalam in coelum porrectam, per quam angeli ascenderunt et descenderunt, salva templi reverentia, non verum est: ubi et hic versus appositus est:

Haec tua sit terra Jacob, cum prole futura.

Sed hoc non eo loco accidit, sed longe alibi ad Mesopotamiam eunti, scilicet juxta majorem Mahumeriam.

In templo liberavit Dominus noster adulteram ab accusantibus, dicens: *Qui sine peccato est* etc., qui etiam illis accusatoribus tacentibus et exeuntibus dixit: *Mulier, vade in pace, et jam amplius*

noli peccare. Locus ille repraesentatur in parva crypta ejusdem templi, ad quam introitus est in sinistra parte templi, et vocatur confessio. In eundem locum dicitur ingressus Zacharias, quando ab angelo de conceptione Johannis est certificatus. Hoc totum indicat pictura et superscriptiones, quae tales sunt: Angelus ad Zachariam: *Ne timeas, Zacharia, exaudita est oratio tua* etc. In superliminari imago Christi: Absolvo gentes sua crimina corde fatentes.

In templo ad altare, quod extra erat sub divo, remotum a templo plus quam per XXII passus, Zacharias, filius Barachiae, martyr occubuit, supra quod in veteri testamento judaei turtures et columbas sacrificare solebant: quod a sasarracenis postea mutatum est in horologium, et adhuc videri potest, et notari, quod plures sarraceni etiam hodie orandi causa ad ipsum, versus meridiem dispositum, ad quem ipsi orare solent, veniunt.

Idem vero templum Domini, miro tabulatu marmoreo intus et exterius a quocunque exstructum, formam habet rotundam decentem, immo circulariter octogonam, id est, octo angulos habentem in circuitu, habens parietem de optimo musivo

opere exterius adornatum usque ad medietatem ejus; nam reliqua pars est de marmoreis lapidibus. Idem paries inferior est continuus, praeterquam quod quatuor ostiis interrumpitur, habens ad orientem ostium unum, cui adjuncta est capella in honore sancti Jacobi consecrata; nam ab ea parte, de tecto templi ipse praecipitatus, pertica fullonis fuit occisus: qui primus pontifex fuit sub novae legis gratia in Jerusalem. Unde et hi versus sunt appositi in eadem capella, in latere parietis:

Jacobus Alphaei, Domini similis faciei,
finit pro Christo, templo depulsus ab isto.
Sic Jacobum justum, praedicantem publice Christum,
plebs mala mulctavit, fullonis pertica stravit.

Hi in circuitu quasi ciborii ejusdem capellae intus et supra continentur:

Jacobus Alphaei, frater Domini nazaraei,
piscator vita, vere fuit israelita.
De templi pinna compulsus fraude maligna,
ad Christum laetus migravit, vecte peremtus.

Ab aquilone habens ostium unum versus claustrum dominorum, in cujus superliminari plures litterae sarracenicae sunt appositae. Ibidem vero juxta idem ostium est locus illius aquae salubris, de qua propheta: *Vidi aquam egredientem de latere* etc. In introitu templi versus occidentem, supra vestibulum, Christi imago est, circa quam hoc continetur epigramma: *Haec domus mea domus orationis vocabitur.* A meridie quoque habet ostium versus aedificium Salomonis. Ab occidente etiam habet ostium versus sepulchrum Domini, ubi et porta speciosa, per quam Petrus, cum Johanne transiens, respondens pauperi eleemosynam ab eis petenti, cum esset claudus, dixit: *Argentum et aurum non est mihi* etc. Utrumlibet istorum duorum ostiorum, videlicet ab aquilone et ab occidente, habet sex januas modo valvarum conjunctas; nam illud versus meridiem habet quatuor, illud vero ad orientem tantum duas. Quodlibet autem ostiorum pulchrum habet vestibulum.

Haec circa inferiorem parietem; sed in superiore parte ejusdem parietis, scilicet ubi musivum opus optimum appositum est, fenestrae sunt intersertae sic, quod in quolibet de octo lateribus sunt

quinque, praeterquam ubi sunt ostia templi, in quibus quatuor tantum continentur fenestrae, et est summa earum triginta sex. Inter istum exteriorem in circuitu parietem et interiores columnas marmoreas et magnas, quae numero sunt duodecim et sustentant illum interiorem et strictiorem et elatiorem et penitus rotundum parietem, qui habet duodecim fenestras, suppositis etiam sibi quatuor quadratis basibus, inter hunc, inquam, et illum sunt sedecim columnae et octo bases cum quadratis lapidibus marmoreis, cum spatio octo passuum, abhinc et inde sustentantes tectum medium inter exteriorem, latiorem parietem et interiorem, strictiorem, cum pulcherrimis laqueariis supra se etiam juxta tectum locum deambulatorium circumquaque exhibentibus, et habentibus canales plumbeos aquam pluvialem exportantes. Super hunc strictiorem parietem erigitur in altum testudo rotunda, intus depicta, foris plumbo cooperta, cui signum sanctae crucis in supremo a christianis est appositum, quod sarracenis est valde contrarium, et multi auri sui dispendio vellent esse remotum; nam licet fidem passionis Christi non habeant, tamen hoc templum venerantur, cum in eo crea-

torem suum adorent, quod tamen pro idolatria habendum est teste Augustino, qui asserit, idolatriam esse, quidquid fit praeter fidem Christi.

In circuitu templi quasi sub tecto extra continetur haec littera in ascensu versus occidentem: Pax aeterna ab aeterno patre sit huic domui. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo. Versus meridiem: Bene fundata est domus Domini supra firmam petram. Beati, qui habitant in domo tua; in saecula saeculorum laudabunt te. Versus orientem: Vere Dominus est in loco illo, et ego nesciebam. In domo tua, Domine, omnes dicent gloriam. Versus septentrionem: Templum Domini sanctum est. Dei cultura est. Dei aedificatio est. Intus vero in templo in superiori linea per circuitum appositum est in magnis litteris illud responsorium: Audi, Domine, hymnum, cum versu suo: Respice, Domine, etc. In inferiore quoque ambitu cum aureis litteris quidam versiculi de illo hymno: Urbs beata Jerusalem, continentur appositi.

Idem templum sic decenter compositum et exornatum circumquaque habet atrium latum atque

planum, conjunctis lapidibus pavimentatum et in circuitu quadratum, ad quod a tribus partibus multis ascenditur gradibus. Est enim idem atrium a qualitate terrae satis artificiose elevatum. Et habet ab oriente in pariete suo latum introitum per quinque arcus quatuor magnis columnis sibi connexos, et hic paries sic patet versus portam auream, per quam Dominus quinto die ante passionem suam, sedens super asinam, solemniter introivit susceptus a pueris hebraeis cum ramis palmarum, laudantibus et dicentibus: *Hosanna filio David* etc. Quae porta ex divina dispositione, licet postea saepe Jerusalem ab hostibus esset capta et destructa, semper remansit integra. Haec etiam porta, ob reverentiam divini et mystici introitus Domini a Bethania per montem Oliveti Jerusalem ascendentis intus clausa, foris lapidibus obstructa, in nullo tempore patet alicui, nisi in die palmarum, quo omni anno, ob memoriam rei gestae, solemniter aperitur processioni et universo populo peregrinorum sive civium. A patriarcha facto sermone in pede montis Oliveti ad populum, finito eo die officio, iterum clauditur per totum annum ut prius, nisi in exaltatione sanctae crucis, in qua

etiam aperitur. Circa eandem portam infra muros celebris sepultura habetur mortuorum.

Idem atrium a meridie habet patulum accessum per tres magnos arcus duabus columnis marmoreis conjunctos, et in eodem latere habet alium accessum priori latiorem. Ab occidente vero versus civitatem pulchrum habet accessum, patens per quatuor arcus tribus columnis marmoreis continuatis. Ab aquilone idem atrium angustatur in parte propter adjunctionem claustri dominorum; in reliquo ejusdem lateris satis pulchram habet latitudinem et accessum. Pulchra quoque et satis ampla planities a meridie et occidenti, aliquantulum etiam versus septentrionem eidem atrio forinsecus adjacet in plano.

Haec descriptio praefati templi et adjacentis loci sufficiat; potiori non invidemus.

5. Palatium Salomonis, aedes templariorum, stabulum, hospitium Simeonis justi, Christi incunabula.

In descensu majoris plateae est porta magna, qua patet introitus in illud latum atrium templi. Ad dextram manum versus meridiem est palatium illud, quod quondam Salomon dicitur exstruxisse,

ubi est stabulum mirabile capacitatis tantae, quod plus quam duo millia equorum seu mille et quingenta camelorum possit capere. Juxta idem palatium milites templarii habent plurima adjuncta aedificia magna et ampla, cum exstructione novae et magnae ecclesiae nondum tamen consummatae. Eadem namque domus multas habet possessiones et infinitos reditus tam in illa terra, quam in aliis partibus. Eleemosynam quidem facit satis magnam in Christi pauperes, sed non in decima parte ejus eleemosynae, quam faciunt hospitales. Eadem domus habet quamplures milites pro tuenda christianorum terra; sed hi, nescio quo infortunio, sive ex falso, sive ex vero, quoad famae relationem, aspersi sunt perfidiae dolo: quod tamen manifeste probatum est per factum illud apud Damascum cum rege Cunrado.

Juxta aedificia eorundem templariorum, versus orientem, super murum civitatis fuit hospitium justi Simeonis, in quo saepe beatam Mariam virginem, matrem Domini, hospitalitatis et familiaritatis causa, dicitur recepisse, fovisse et alimenta praebuisse, sicut et ea nocte fecit, quando in sequenti die, videlicet quadragesimo die a nativitate

Domini ipsum puerum cum matre sua in templo oblaturus, in ulnis suis ad altare eum retinens et offerens, spiritu prophetico cognoscens, eum illum fore, qui per tot et tanta retro spatia ab antiquis patribus inenarrabili desiderio esset exspectatus, intulit prophetice: *Nunc dimittis servum tuum, Domine* etc. In eadem domo, modo in ecclesiam transmutata, beatus Simeon sepultus quiescit, ut ille versus ibi appositus indicat. In eadem ecclesia infra in crypta retinentur adhuc et ostenduntur cum magna veneratione Christi de ligno incunabula.

6. Bethania, Bethphage, ecclesia Mariae Magdalenae.

Appropinquante dominicae passionis tempore, venit Jesus, Dominus noster, Bethaniam sero ante diem palmarum, et in sequenti, scilicet die dominico, mane cum ea solemnitate, de qua jam diximus, sanctam civitatem est ingressus. Distat Bethania a Jerusalem per duo milliaria, et est oppidum illud, in quo Simon vel Lazarus, quod melius est, saepe Jesum recepit in hospitem: cui devote ministrabat Martha et Maria. In Bethania Maria Magdalena, fracto alabastro, unguentum pre-

tiosum effudit causa devotionis supra caput salvatoris in convivio recumbentis, cujus unguenti odore tota domus repleta fuit. Dicitur etiam eadem Maria Magdalena in eodem loco vel potius in alio, scilicet in domo Simonis leprosi, jam dudum, cum adhuc esset peccatrix, ductu poenitentiae ad pedes Domini similiter in convivio recumbentis venisse, et suis lacrimis pedes Jesu rigasse crinibusque suis extersisse, et alio quodam, scilicet compunctionis, unguento unxisse et sic peccatorum suorum veniam apud Dominum promeruisse. Unde, cum sacra in scriptura alicubi reperiatur, aliam Mariam ad pedes illius accessisse, aliam caput Domini inunxisse, doctores nostri exponunt aliam, id est, alteratam, quia ibi peccatrix, in amaritudine poenitentiae hic jam justificata, cum devotionis exultatione accessit. Est tamen quaedam ecclesia intra muros sanctae civitatis, juxta sanctam Annam versus septentrionem, prope muros urbis, in honore Mariae Magdalenae consecrata, in quo loco habitant monachi jacobitae, qui asserunt ibi domum fuisse Simonis leprosi, qui invitavit Dominum nostrum ad convivium, in quo supervenit Maria Magdalena, procidens ad pedes Jesu, quos lacrimis rigavit et oscu-

latos crinibus detersit, unguens unguento. Hoc quidem asserunt, et id ipsum loco in pavimento assignato crucis forma, ubi venit Maria ad pedes Jesu, et in pictura tabularum sic fuisse comprobant, ostendentes adhuc capillum ejusdem Mariae, qui continetur in vasculo perspicuo repertus ibidem.

Dicunt quoque aliam fuisse Mariam, quae soror erat Lazari et Marthae, quae in Bethania, quod oppidum illorum erat trium, fracto alabastro, pretiosum unguentum fudit super caput ejusdem Domini nostri: cujus sepulturam adhuc hodie in Tabaria dicunt apparere, corpore ipsius ibidem sepulto. Fatentur autem corpus Mariae Magdalenae in partibus nostris apud Verziliacum sepultum quiescere. Verum hoc utique illi affirmant, sicut praesens audivi; sed, ut jam dictum est, nostri doctores unam et eandem, quae unxit pedes et caput Jesu, dicunt fuisse Mariam et eandem Lazari sororem et quandoque peccatricem. Verumtamen lectio Evangelii de hoc eodem facto valde est implicita et etiam diligentem auditorem reddit dubium de hoc, scilicet, an Simon pharisaeus in Bethania habuerit hospitium et invitaverit Dominum, quod tamen non videtur idoneum, quia totum

illud oppidum fuit Lazari et sororum suarum. Et si idem Simon alibi habuit hospitium et forte in praemonstrato loco, necesse est, ut tunc vice prima non solum pedes, sed etiam caput Jesu dicatur Maria unxisse, ut ex ipsius Domini verbis in Evangelio dicentis: *Simon, introivi in domum tuam* etc., potest intelligi. Alia vero vice in Bethania tamquam in domo sua eadem Maria tantum caput ejus unxit, super ipsum fracto alabastro. Unde in Evangelio: *Cum esset Bethaniae Jesus* etc. Si quis de his amplius velit certiorari, veniat ipse et a prudentioribus incolis terrae hujus ordinem et veritatem rei gestae inquirat; nam in aliqua scriptura nec tantum de his reperi.

Inter eandem Bethaniam et summitatem montis Oliveti, tamquam in medio, erat Bethphage, vicus quidam sacerdotum, cujus indicium adhuc exstant quasi turres duae lapideae, de quibus est una ecclesia.

7. Mons Sion, coenaculum, ecclesia Sion.

Appropinquante, ut diximus, Domini passione, post Lazari recuscitationem, die palmarum venit

Hierosolymam. Eodem die, solemnitate jam dicta peracta, rediit ad Oliveti montana, moraturus ibi usque ad feriam quintam, in qua facturus erat una cum discipulis suis coenam dominicam, in qua veteris testamenti terminum novique testamenti initium posuit. Misit ergo in civitatem, discipulis suis inquirentibus, ubi velit sibi pascha fieri, quosdam ex eis, ut venirent et praepararent sibi habitaculum vel locum ad complendum hujusmodi coenae sacramenta idoneum, de quo plenius in Evangelio: *Ite in civitatem et invenietis hominem amphoram aquae bajulantem, sequimini eum* etc. Hoc coenaculum in monte Sion est inventum, in eo loco, in quo Salomon quondam egregium dicitur construxisse aedificium, de quo in Cantico Canticorum: *Ferculum fecit sibi rex Salomon* etc. Coenaculum illud in superiori parte grande erat et latum, in cujus latitudine propter mysterii rationem Dominus noster cum discipulis suis dicitur coenasse, ubi et proditorem suum cauta indicavit descriptione, reliquos confortans de instante sibi passione et dans eis sub specie panis corpus suum ad manducandum et sub specie vini sanguinem suum ad bibendum: *Quotiescunque* etc., dicens.

Facta jam in superiori parte ejusdem habitaculi coena, veri simile est ex ejusdem mysterii ratione, Dominum nostrum, in inferiori domus parte, humilitatis exemplum in lavatione pedum discipulorum ostendisse; sive mavis hoc ante coenam vel post factum fuisse, ut quaedam expositio innuit super illam litteram Evangelii Johannis: *Et facta coena surrexit* etc., sive autem hoc ante vel post factum fuerit, parum refert; sed hoc vel scire juvat, quod diversitatem loci adhuc hodie descriptio rei gestae in ecclesia montis Sion innuit. Nam in sinistra parte ejusdem ecclesiae, in loco superiori, depicta apparet coena, in inferiori, scilicet in crypta, lavatio pedum discipulorum ostenditur exhibita.

8. Oratio Christi in Gethsemane, capella cum caverna, ecclesia salvatoris, locus proditionis.

His itaque consummatis mysteriis, orationis causa cum discipulis suis rediit ad montem Oliveti, in cujus montis pede et accubitu, dimittens discipulos suos, solus secessit ab eis, quantum erat jactus lapidis, scilicet Gethsemane. Oravit ad patrem suum, dicens: *Pater, si fieri potest* etc.,

ubi et ex tremore carnis sudorem fudit quasi sanguineum, et, ad discipulos suos reversus et inveniens eos dormientes, specialiter Petrum increpavit, dicens: *Non potuisti una hora vigilare mecum?* et aliis discipulis: *Dormite jam et requiescite* etc. Sic vice tertia in eundem locum ab eis secedens et easdem preces Deo patri porrigens, tandem confortatus a patre et a se ipso secundum quod Deus, tertio reversus ad discipulos, dixit: *Vigilate et orate.* Istorum locorum distinctio, videlicet, ubi discipuli remanserant, et ubi Dominus oraverat, manifeste in valle Josaphat apparet; nam juxta majorem ecclesiam, in qua sepultura beatae Mariae virginis, de qua postea dicemus, adhuc hodie in dextra parte introitus sui est capella cum caverna, in qua discipuli tristes et dormitantes remanserant, Domino ter secedenti ab eis et totiens redeunte. Hoc adhuc ibidem indicat pictura existens. Locus vero, ubi Dominus oravit, circumdatus est nova ecclesia, quae dicitur ecclesia salvatoris, in cujus pavimento eminent tres non operati lapides, tamquam modicae rupes: in quibus dicitur Dominus orasse cum trina genuflexione, ad quos lapides fit veneratio et fidelium Christi oblatio cum devotione

maxima. Ad praedictam cavernam Dominus noster, noscens cum turbis Judam appropinquare, Judas enim, aliis discipulis post coenam cum Domino remanentibus, solus abiit ad judaeos, tractans cum eis de traditione Domini, mercedem proditionis triginta argenteis ab eis recipiens, cum turba jam appropinquavit: hoc, inquam, sciens Jesus, in eadem caverna dixit discipulis suis: *Surgite, eamus; ecce appropinquavit* etc. Sic egressus Gethsemane, per osculum Judae cognitus, a cohortè transmissa est detentus, vinctus et deductus. Verumtamen in praefata caverna ostenduntur quinque foramina in uno lapide, tamquam quinque digitis manus Domini impressa: Domini, dico, jam capti et a persecutoribus violenter tracti, veluti sese retinentis. Quidquid autem de hoc sit, nos procul dubio scimus, eum majoris potestatis et virtutis ampliora potuisse facere.

9. Praetorium Pilati, turris David, aedificium, in quo coenaverunt, galli cantus sive Galilaea, ecclesia graecorum, capella flagellationis, via, qua ivit Christus ad Calvariam.

Traditus est, ut diximus, Dominus noster a discipulo suo, captus et ligatus a milite romano,

reductus ad montem Sion, ubi tunc erat praetorium Pilati, nuncupatum lithostrotos, hebraice autem Gabatha. Tunc enim temporis optima pars et fortitudo totius civitatis erat in altitudine ejusdem montis, sicut etiam turris David, quae erat specula et tutamen reliquae civitatis, erat in eo elevata, et ratione maternae generationis et procurationis inferior pars ejusdem civitatis dicitur filia, unde: *Dicite, filiae Sion* etc. Postea vero, destructa ibidem civitate et in alium locum, ubi nunc exstat, translata sub Aelio imperatore, mons quoque idem a sua celsitudine valde est humiliatus et adaequatus, turre etiam sublata inde cum aliis aedificiis. Ostenditur autem hodie locus ille, ubi praetorium et turris David fuerat. Tunc temporis juxta idem praetorium versus meridiem erat illud grande aedificium, ubi Dominus coenavit cum discipulis suis. Juxta idem praetorium versus orientem erat atrium, in quod vinctus ducebatur et tota nocte illa retinebatur a custodibus et a judaeorum principibus observantibus eum usque ad horam sistendi judicio in sequenti mane. In eodem praetorio Petrus ter negavit Dominum ante galli cantum, ubi etiam, audito galli cantu,

Domino eum respiciente, pie reminiscens verbi Jesu, vere poenituit, flevit amare, fugiens in cavernam, quae modo galli cantus vulgariterque Galilaea appellatur.

In monte Sion Christus discipulis suis apparuit, unde et hi versus inveniuntur ibi appositi in dextro latere ecclesiae:

Christus discipulis apparuit hic galilaeis
surgens. Propterea locus est dictus Galilaea.

In via, qua de Sion descenditur in vallem Josaphat, sub porta montis Sion, super eandem cavernam, est ecclesia aedificata, quam hodie servant graeci monachi.

Facto itaque sequenti mane judicio iniquo, damnatus ante praetorium in loco quodam flagellatur, alapis caeditur, et conspuitur, veste rubea induitur, spinea corona pungitur. Quod indicat epigramma ibidem positum sic continens:

Iste coronatur, quo mundus jure regatur.

Eundem locum designat capella ante majorem ecclesiam Sion, versus boream sita, contineus picturam gestae rei cum tali epigrammate:

Sanctus sanctorum damnatur voce reorum.
Pro servis bellum patitur Deus atque flagellum.
Haec bona crux Christi Simoni subvenit isti.
Non vehit hanc gratis, quae dat bona cunctis beatis.

